

## CONGREGATIO PRIMA PUBLICA,

EODEM DIE, HORA 4 P. M. IN ECCLESIA METROPOLITANA HABITA.

ADFUERE Patres omnes, qui mane adfuerant, et insuper Ordinum Religiosorum, Congregationumque Superiores et Proceres, necnon et theologi a Patribus vel adducti, vel designati.

Argumentum erat inter theologos, utrum expediret decretum Concilii Tridentini de matrimonio in hisce Provinciis publicare, necne?

## CONGREGATIO SECUNDA PRIVATA,

DIE MARTIS, 11 MAII, HABITA.

ADFUERE Patres omnes qui heri, cum Concilii Officialibus.

Rev̄mus et Ill̄mus D. Archiepiscopus S. Ludovici retulit quid Congregationi particulari de quæstione iis heri commissa videretur. Censuerunt Patres Rev̄mum P. MARIAM EUTROPIUM, Abbatem mitratum S. Mariæ de Trappa, de monasterio Gethsemanensi, jus habere Congregationibus privatis matutinis interveniendi; ac mandatum est Pittsburgensi, Carolopolitano et Bostoniensi, ut inquirant num votum decisivum, seu tantum consultivum ferre debeat. Ceterum, reliquis Superioribus jusserunt Patres ut Carolopolitanus et Albanensis comiter significarent, eis tantummodo votum consultivum competere, illudque eos exercere in Congregationibus publicis postmeridianis.

Tunc ad Sedes erigendas, novosque episcopos nominandos sese converterunt Patres, et abierunt Secretarii.

## CONGREGATIO SECUNDA PUBLICA,

EODEM DIE, HORA 4 P. M. HABITA.

ADFUERE Patres omnes ut mane, et insuper Milwauchiensis qui hodie Baltimorum advenit, qui- que Rev. P. ANTONIUM SCHMIDT, C. SS. R. theologum suum designavit.

Adfuere etiam Superiores Ordinum Religiosorum ac Congregationum, necnon et theologi.

Inter theologos disceptatum est de recta juventutis instituendæ ratione, deque scholis catholicis.

## CONGREGATIO TERTIA PRIVATA,

DIE MERCURI, 12 MAII, HORA 11, HABITA.

ADFUERUNT Patres qui heri; et insuper Ludovicopolitanus, et S. Pauli, qui Baltimorum advenerat.

Pittsburgensis retulit se, ac alios Patres ad hoc delectos, examine facto, judicare Rev̄mo P. MARIÆ EUTROPIO Abbati, nonnisi votum consultivum competere, cum jurisdictionem quasi-episcopalem nullam habeat.

Statutum est supplicandum esse S. Sedi, ut privilegium, vi cujus forma in Rituali Romano posita pro baptisate parvulorum, in hisce Provinciis etiam pro baptisate adultorum uti licet, vel perpetuum fiat, vel saltem ad viginti annos iterum concedatur.

Adveniente hora meridiana, quando de nominationibus erat agendum, discesserunt Secretarii.



## CONGREGATIO TERTIA PUBLICA,

DIE 12 MAII, HORA 4 P. M.

ADFUERUNT Patres omnes, excepto Galvestonensi, Ordinum Religiosorum Superiores, et theologi, inter quos Rev. D. JOSEPHUS H. PLUNKETT ab Illmo et Revmo Episcopo S. Pauli delectus theologus.

Argumentati sunt theologi de Societatibus secretis, de ædituis contra Episcopum insurgentibus, de rerum temporalium administratione, de scholis publicis, et de libertate cultus in exercitu et in classe.

## CONGREGATIO QUARTA PRIVATA,

DIE JOVIS, 13 MAII, HABITA.

CONGREGATIO ista habita est hora 9 A. M. in ædibus Archiepiscopalibus. Adfuere Patres omnes. Actum est de novis Sedibus erigendis, episcopisque nominandis. Abfuerunt igitur Secretarii. Lata sunt duo decreta quæ incipiunt: *Patres hujus Concilii, et Quæ in septem Conciliis.*

## SESSIO SECUNDA.

DIE Jovis, hora 10 A. M. convenerunt in ecclesia Patres omnes, Ordinum Religiosorum Superiores, et theologi. Missam pro defunctis præsulibus, qui ab ultimo Concilio Provinciali habito, e vita excessere, celebravit Illmus et Revmus D. Episcopus Natchetensis, cui adstiterunt Adm. Rev. D. MARIANUS MALLER, archidiaconus; Rev. D. ALEXIUS J. ELDER, diaconus; Rev. D. HENRICUS GRIFFIN, subdiaconus.

Finita Missa, sermone satis eloquenti prædictos prælatos defunctos, nempe Revmum et Illmum SAMUELEM ECCLESTON, archiepiscopum Baltimorem; BENEDICTUM JOSEPH FLAGET, episcopum Ludovicopolitanum, et WILHELMUM TYLER, episcopum Hartfordensem, laudavit Revmus D. Ludovicopolitanus.

Absolutio a Revmo et Illmo D. Baltimorem facta est; qua finita, prælati omnes pluvialia et mitras sumpserunt, et habita est Sessio secunda solemnis, juxta præscripta Pontificalis Romani: hodie tamen nulla lecta sunt decreta.

## CONGREGATIO QUARTA PUBLICA,

DIE JOVIS, 13 MAII, HORA 4 P. M. HABITA.

ADFUERUNT Patres omnes, cum Superioribus Ordinum Religiosorum, et theologis. Inter hos ventilata est quæstio, num expediret parochos canonicos in hisce Provinciis instituere.

## CONGREGATIO QUINTA PRIVATA,

DIE VENERIS, 14 MAII, HORA 11 A. M. HABITA.

ADFUERUNT Patres omnes cum Officialibus.

Archiepiscopis S. Ludovici, Neo-Aurelianensi, et Neo-Eboracensi commissum est, ut scriptis exponant quænam dispensationes circa jejunia quadragesimalia ab Ordinario in diocesis Occidentalibus concedi solent.

Similiter Carolopolitano, Buffalensi ac Ludovicopolitano munus datum est catechismi anglico sermone conscribendi, vel saltem ex editis quemdam seligendi, qui eorum cura, si opus sit, emendatus,



per omnes diœceses usu veniat. Absoluto autem opere, catechismum prædictum in manus Baltimorensis tradant, cujus erit, ut a S. Sede approbetur, agere. Quod si catechismum aliquem ex jam editis, illis placuerit seligere, id per litteras omnibus coepiscopis quamprimum significant, ita ut cuique quid sentiat dicendi sit copia.

Mandatum quoque est Philadelphiensi, ut catechismum germanico ore vel conscribat, vel ex jam editis seligat, cum onere illum episcopis omnibus germanice scientibus, et præsertim Baltimorensi, communicandi.

Tandem statutum est nullum in futurum Bibliopolis permittendum, in hujusmodi catechismis lucidandis, privilegii jus.

Dein latum est decretum contra sepulturam Catholicorum in cœmeteriis non consecratis, ubi adest copia eos in cœmeteriis rite consecratis sepeliendi.

Ad Sedium erectionem, et episcoporum nominationem cum se converterent Patres, abierunt Secretarii.

#### CONGREGATIO QUINTA PUBLICA,

DIE VENERIS, 14 MAII, HORA 4 P. M. HABITA.

ADFUERUNT Patres omnes, Superiores Religiosi, et theologi. Inter theologos disceptatum est de parochis canonicis instituendis.

#### CONGREGATIO SEXTA PRIVATA,

DIE SABBATI, MAII 15, HORA 10 A. M.

ADFUERNUT Patres omnes.

Lata sunt decreta quæ incipiunt: *Rituale Romanum* et *Manuale Cœremoniarum*. Mandatum

est Ludovicopolitano, Philadelphiensi et Montisregis, ut die Lunæ venturo, Patribus referant quæ in Rituali proxime edendo mutanda, omittenda, vel addenda sint, præsertim de benedictione mulierum ante partum, et de evangelii legendis, et orationibus recitandis supra ægrotos. Item, utrum expediat S. Sedi supplicare ut Calendarium hodie in ecclesia Romana usitatum ad istas Provincias extendere dignetur.

Latum est decretum quod incipit: *Decretum sextum*.

Congregatio de quæstionibus ad jus canonicum spectantibus, cui delata fuerat quæstio quædam de diebus festivis, hortatu Gubernatoris civilis celebrandis, responderunt morem illum nulli Benedicti XIV Constitutioni adversari.

Eidem Congregationi commissum est referre quid S. Sedi rescribendum ad facultates extraordinarias, præsertim circa matrimonia mixta, aut ubi adest primi gradus affinitatis, vel secundi gradus collateralis consanguinitatis impedimentum.

Relatio ejusdem Congregationis lecta fuit de non publicando decreto Tridentino.

Latum est decretum quod incipit, *Statuunt Patres*, de bannis publicandis; assentientibus viginti tribus patribus, septem e contra dissentientibus.

Mandatum est Albanensi, Pittsburgensi et Galvestoniensi, ut referant utrum expediat S. Sedi supplicare, ut suprema auctoritate erga illas diœceses in quibus Concilium Tridentinum vel certo, vel probabiliter publicatum est, ita dispenset, ut in iisdem eadem sit ac in ceteris diœcesibus de matrimoniis ineundis ecclesiastica lex; assentientibus decem et octo, dissentientibus tredecim.



Iisdem quoque mandatum est ut hisce quæstionibus, a Revmo et Illmo D. Archiepiscopo Neo-Eboracensi propositis super bannis publicandis, respondeant: 1. Quid faciendum in casu quo illius qui matrimonium contrahere vult, parentes et consanguinei in urbe domicilium habent, ipse vero jam forsitan ab annis aliquot alibi victum labore quærit, ac matrimonio inito, eodem reversurus est? 2. Quid faciendum de his qui intra limites unius districtus domicilium habent, sed sede in ecclesia alius districtus locata, inter illius ecclesiæ fideles numerantur? 3. Quomodo reputandum domicilium eorum, quibus mos est quotannis de domo in domum transire, quique rarissime per trium annorum spatium in eadem domo manere solent?

Dein, cum de nominationibus esset agendum, abierunt Secretarii.

Horis postmeridianis nulla habita est Congregatio publica.

#### SESSIO TERTIA SOLEMNIS.

DIE Dominica, Maii 16, hora 10 antemeridiana, facta est processio ab ædibus Archiepiscopalibus ad Cathedralē ecclesiam, eodem ac Dominica anteriori ordine. Missam solemnem celebravit Illmus et Revmus D. Archiepiscopus Oregonensis, cui adstiterunt Adm. Rev. P. BERNARDUS J. HAFKENSCHIED, C. SS. R. archidiaconus; Rev. P. ANTONIUS SCHMIDT, C. SS. R. diaconus, et Rev. D. H. GRIFFIN, subdiaconus. Diaconi vero prope thronum Illmi et Revmi Archiepiscopi Baltimorensis fuere Adm. Rev. P. PATRITIUS E. MORIARTY, O. S. A. Ass. Gen. et Rev. D. JOANNES McCAFFREY,

S. T. D. Magistro Cæremoniarum Rev. D. FRANCISCO BURLANDO, C. M.

Absoluto Sacro, concionem ad populum habuit Illmus et Revmus D. Pittsburgensis; qua finita, habita est Sessio tertia solemnis, juxta præscripta Pontificalis Romani pro Sessione secunda synodi.

Decreta a Patribus hucusque lata, publice lecta sunt a primo Secretario. Tum Illmus et Revmus D. Archiepiscopus Baltimorensis, Sedis Apostolicæ Delegatus, instante Revmo Promotore, ita Patres allocutus est: *Placetne vobis, venerabiles Fratres, hæc quæ lecta sunt decreta approbare, et confirmare?* Responderunt omnes: *Placet, approbamus, confirmamus.*

Data tunc a Revmo Præsidente benedictione, finis huic Sessioni imposita est, et omnes processionaliter ad ædes Archiepiscopales reverterunt.

Horis postmeridianis nulla habita est Congregatio publica.

#### CONGREGATIO SEPTIMA PRIVATA,

DIE LUNÆ, MAII 17, HORA 11 A. M. HABITA.

ADFUERE Patres omnes cum Concilii Officialibus.

Revmus et Illmus D. Pittsburgensis ex Congregatione de jure canonico retulit Congregationem istam censere oportere amplas facultates a S. Sede postulari, præsertim super matrimoniis mixtis, et dispensationibus in casu impedimenti ex primo gradu affinitatis, et secundo gradu collateralis consanguinitatis orti; et Patres eidem onus dedere epistolam eo sensu ad S. Sedem mittendam conscribendi. Voluerunt quoque in eadem epistola peti, ut non juramentum, sed tantum solemnis promissio tam a



catholica quam ab acatholica parte, de conditionibus servandis, sit deinceps exigenda.

Certiores fecit Patres Revm̄us Promotor Secretarium primum, ex ejus mandato, ad Rev. D. TIMOTHĒUM O'BRIEN sabbato scripsisse, eique notum fecisse judicium à Patribus in negotio eum inter et Revm̄um D. Richmondensem latum, prædictumque Secretarium responsum a Rev. D. T. O'BRIEN accepisse, quod lectum est. Secretario mandaverunt Patres, ut iterum prædicto Rev. Domino rescribat, eos judicio lato adhærentes de sua submissione gaudere. Hoc vero die Mercurii sequenti fecit.

Adveniente horâ qua de nominationibus esset agendum, abierunt Secretarii.

#### CONGREGATIO SEXTA PUBLICA,

DIE LUNÆ, MAII 17, HORA 4 P. M. HABITA.

ADFUERE Patres omnes, Ordinum Congregationumque Superiores, et theologi.

Theologi disceptarunt de curriculo studiorum in Seminariis instituendo, de parœciis, et de vagorum matrimoniis.

#### CONGREGATIO OCTAVA PRIVATA,

DIE MARTIS, 18 MAII, HORA 10 A. M. HABITA.

ADFUERUNT Patres omnes cum Officialibus.

Imprimis legit Pittsburgensis epistolam de facultatibus extraordinariis, ad S. Sedem mittendam, juxta voluntatem Patrum heri indicatam, conscriptam. Voluerunt quidam ut in eadem epistola S. Sedem orarent ut suprema sua potestate obligationem decreti Tridentini de matrimoniis clandestinis

tollat quoad diœceses in quibus vel certo vel probabiliter fuerit ullo tempore publicatum; sed in hoc consilium noluerunt Patres ire.

Plura relata sunt a Ludovicopolitano ex Congregatione particulari de nova editione Ritualis Romani in lucem danda; sed re mature agitata, noluerunt de ea conciliariter agere.

Latum est decretum quod incipit: *Statuunt Patres ritus sacros.*

Lecta est epistola Revm̄i et Illm̄i Torontini, qua gratias Patribus agit pro humanitate qua eum exceperant, eisque gratulatur de Concilio habito.

Tunc lata sunt sequentia decreta: *Hortantur Patres ut ubique*, de pia ad propagandam fidem Societate in hisce Provinciis instituenda; *Monemus sacerdotes*, de ædituorum electione; *Hortamur episcopos*, de scholis instituendis; *Hortandos episcopos*, de sacerdotum concilio adhibendo; *Quoniam quæ Deo*, de bonis temporalibus.

Quum Illm̄us et Revm̄us D. Montisregis exponeret magnam pecuniæ summam ad Missiones in California sustentandas olim erogatam Gubernio civili Mexici, prout ferebant leges Hispanicæ, fuisse locatam, ut illius fructus quotannis Missionariis solverentur, quod tamen a multis annis factum non est. nec amplius expectari sinunt reipublicæ mutatæ fortunæ; quumque insuper potestas civilis in California illam pecuniam ad usus publicos usurpandam ab ærario Mexicano postulare cogitet, ipse a Patribus quærebat quid hac in re opportunum sit fieri. Voluerunt Patres Congregationem de jure canonico, re mature perpensa, ei consilio esse.

Relatio ejusdem Congregationis de iis qui impedimenta matrimonii celant, necnon et alia de juventu-